

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechthildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

VIII. De purgatorio et poenis clericorum.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

## VIII. DE PURGATORIO ET PÆNIS CLERICORUM.

**O**LIM, quondam vidi purgatorium fluvio igneo comparatum. Coquebatur velut æs fluidum bulliens, superductum nebula tenebrosa, in quo natabant pisces humanam speciem præferentes. Hi sunt animæ clericorum qui divitiarum deliciis dediti, carnisque exusti concupiscentia et delectationibus excæcati, nullius bonitatis amore ducebantur. Erantque desuper hanc aquam pisces qui nec navi nec retibus utebantur, sed cum unguis igneis piscabantur; spiritus enim diabolici erant isti. Quoscumque captos ad littus pertrahebant, mox [in spiritu] crudeliter excoriatos bullientique cacabo immissos fustibus igneis contundebant, sicque pro libitu cruciatos, rostris laniatos crudelibus devorabant, et super aquam regressi eos iterum turpiter evomebant, sicque rursus captis, coctis, devoratis, ut prædiximus, faciebant.

V. 14.

## IX. DE LENI STATU ANIMÆ BONI SACERDOTIS.

**P**RO quodam sacerdote justo et devoto in sua parochia defuncto secundum consuetudinem Ecclesiæ Dominum deprecabar. Et vidit anima mea animam ejus in laudabili dignitate, expectantem adhuc gloriam sempiternam. Quatuor angeli ducebant eum super omnem tempestatem [in primum cœlum], psallentes sibi chordis cœlestibus, sicque purgabant eum, æternæ beatitudini coaptantes. Interrogavi eum quo merito hanc dignitatem attigisset. Et respondit: Ego dilexi solitudinem, et cum timore Domino supplicavi. Et dixi: O nimis felix, cur non continuo cum istis electis angelis evolasti? Respondit: Tanta est gloria quam accepturus sum pro munditia clericali, quod eam adhuc non mereor adipisci.

V. 15.